

Q.K. 367.22.

(X 153 2531)



C. B. D.  
**BELLUM CÆ-**  
**SARIS ET ARIO-**  
**VISTI**

Germanorum Regis

*Ex I. de Bell. Gall. 30. seqq.*

Commentatione Politica illustratum,

*Autore*

JO. GEORGIO KULPIS.

---

SWOBACI,

Literis & Sumtibus C. E. Buchta / 1689.



4

f





C. B. D.

BELLUM  
SARIS ET ARIO-

VISTI

Generalium Regis

Ex. V. de Bell. Gall. 30. Sept.

Committatione Policia Illustrum.

Amicus

Jo. GEORGIO KUPFIS.

SWOBACH.

Licentia & Summa C. A. S. P. 1689.



C. B. D.

BELLUM CÆSARIS ET ARIOVISTI,

*Ex I. de Bell. Gallico. c. 30. seqq. Commentatione  
Politica illustratum.*



**P**Ræclarum omninò est iudicium *Livii*, quo *verissimam disciplinam exercitationemq;* ad *res civiles Historiam esse*, initio sui operis tradit: nihil enim magis ad prudentiam publicam privatamque facit, quam illius scriptio aut saltem lectio digna. Sicut autem *Historiæ Scriptor* non est, qui qualemcunque relationem *Chronicariam*, nudam reum & factorum annotationem complexam, compingit, hoc enim est, si *Sempronio Afellioni* apud *Gellium V. Noct. Att. c. 18.* credimus, *fabulas pueris narrare, non historias scribere*; cum potius id agendum sit, ut non modò *casus eventusq;* rerum, qui plerumq; *fortuiti sunt*, sed *ratio etiam causeq;* noscantur, monente *Tacito i. Histor. 4, 1.* Ita nec *Historiam*, quamvis optimè contextam, ad hunc quidem usum legisse potest estimari, qui solas loquendi formulas venatur, ut suæ tandem *latinitati pompam* inde aliqualem circumponere queat, quando sagaci oculo interiora potius rerum momenta considerare, eaque ad regulam *juris ac Utilitatis*, quibus partibus vera prudentia unice constat, expendere debebat. Sed qualibus legibus *Historia Pragmatica* vel scribi debeat vel legi, summi viti pridem demonstraverunt, illud quidem *Casaubonus* in *Præfatione operis Polybiani*, hoc verò *Reineccius* in *Methodo sua*. Nobis *propositum est*, specimen aliquod exhibere, *quomodo Politicæ Studiosus*

Propositum  
Auctoris.



*Civilis prudentia usus heic debeat investigare*, in argumentum hujus instituti feligentes *Bellum* illud maxime celebratum, quod *Julius Caesar* cum *Ariovisto Germanorum Rege* gesserat, suorumque *de Bello Gallico Commentariorum libro primo* descripserat *Ipsè*, quale breve commentatione illustratum, *Disquisitioni Academica* proponimus, non quod ex dignitate rei isthanc materiam, à nobis percoli posse opinemur, sed ut tentemus, quantum vires nostræ valeant, hisque conatibus innoxiiis divinam gratiam, ac benigna superiorum judicia adprecamur.

Scriptores  
hujus Belli.

§. II. Potissimum memorati Belli Scriptorem jam laudavimus *Ipsum Casarem*, qui sicut post confectum Helveticum Bellum, hujus principia memorabiliter ac summo studio consignavit, ut apologiam rerum à se gestarum, exhibere voluisse videatur; ita artes & fortunam, quibus in eodem usus est, graphicè quoque depingit, inde à capite *tricesimo ad finem usq; libri primi*. Præter Casarem verò seriem hujus Belli illustri brevitate complexus est *Plutarchus in vit. Cesar. p. 716. edit. Xylandr. ac Florus III, 10, 10.* Fusiore autem & pragmaticâ dissertatione exposuit *Dio Cassius l. 38.* Nos, ut ordo dicendis constet, præ-

Partitio in  
tres partes.

sentem tractationem naturali serie suâ *tribus partibus* concludere possumus, ut primum hujus Belli *initium*, quâ occasione & quibus ex causis ceptum; deinde *progressum*, quali modo ac fortunâ gestum; denique *exitum*, quibus conditionibus finitum sit, dispiciamus.

Quarum  
prima continet  
Initium  
Belli.

§. III. Quoniam verò in omni Bello publico, ad consequendos solennes Juris Gentium effectus, necessum est, ut geratur *ab eo, qui summam habet potestatem*; quæ autem mandato summæ potestatis geruntur, imprimis æstimentur ex principio suo, indeque an pro Bello publico an privato facinore ac latrocinio quodam haberi debeat, dijudicandum sit, non immeritò prius expediendum est, *an Cesar facultate*

Ubi consideratur,  
quoad personam  
facultas ejus,  
qui Bellum  
gerit.

*Belli contra Germanos meditandi fuerit instructus?* Sanè rationes dubitandi suggerit. *Hugo Grotius de Jur. Belli & Pac. I, 3, 4. & III, 3, 10. add. II, 21, 4.* quod ex mandato Senatûs Populique Romani, ad conficiendum Bellum Gallicum seu Helveticum, Casari concessio, jus hoc non

Quæ aliis in  
dubium vocatur.

oriatur; peculiare enim, novum & à priori penitus distinctum erat bellum Germanicum, ad quod sicut ex Jure Gentium nova indictio, ita ex Jure Militari Romano, novus populi Romani jussus desiderabatur; neque in re tanti momenti conjecturis voluntatum locum esse, ostendit. *Pufendorf. de Jure Nat. & gent. VII, 8, 4.* unde etiam non milites tantum eo

tum eo



tum eo tempore Cæsari, bellum sine lege aut SCto inferri, objecerunt, ut testis est *Dio*; sed & postea, cum in Senatu Romano super his judicaretur, M. Cato dedendum Germanis Cæsarem censuit, *ad expiandam à violato jure gentium civitatem, & ad piaculum in Autorem vertendum*, ut ex *Canusio* narrat *Plutarch. in vit. Cæsar. p. 718.* At non sunt nulla, quæ pro Cæsare dici possunt, sicut *Ipse in oratione* ad suos Legatos & Centuriones apud *Dionem* admodum sollicitus est, ut probet, hoc à nobis assertur. à Romanis sibi concessum; ostendit enim bellorum varia genera esse, quædam lege lata, quædam sine lege, ex tempore & subitâ necessitate geri, potissimum autem fundamentum in *Senatus Consulto* posuit, quo *M. Mesall. & M. Pisone Coss.* qui in A. V. 633. incidunt, Senatus censuit, *uti, quicumque Galliam Provinciam obtineret, quod commodo Reipubl. facere posset, Æduos cæterosq; amicos populi Romani defenderet.* vid. c. 35. Obtinebat verò tum Galliam Cæsar, cui quoniam defensio amicorum injungebatur, necessariò etiam facultas applicandi media, sine quibus illa obtineri nequit, concessa intelligitur, ex regnâ in moribus certâ, quam *Grotius de I. B. & R. II, 14, 11. Hobbés de Civ. 1, 8.* aliique explicant; id quod heic tanto magis procedit, cum formula ista, *quod commodo Reip facere posset*, significet rem non tam potestati, quàm prudentiæ committi, uti prætet *Brissonium in formulis*, docuit *Paulus Manutius ad Ciceron. l. 1. epist. 1.* quare non ex nudis conjecturis hoc jus repetendum est. Nec quicquam contra valent vel militum Cæsareanorum dubitationes, vel ipsius etiam Catonis judicium; sicut enim hoc ex solo adversus Cæsarem odio oriebatur, notante *A. Gentil. de Arm. Rom. II, 22.* ita illis quoque luculenter satisfactum est ab ipso Cæsare: cui utique mandatum, non cum restrictione ad Helveticum Bellum, sed generalius, vi SCti allegati, datum erat, adeoque, si ex justis causis motus, quod ad facultatem gerendi attinet, quin ei competierit, dubitandum non est, quod egregiè insuper demonstravit *Bæclerus ad Grot. lib. 1. p. 194. & Dissert. de eo quod civit. egit. p. 41.*

§. IV. Circa initium hujus Belli, quod à capite 30. ad cap. 38. describitur, separanda sunt belli occasio & pretextus à causis veris, quod ipsam notanda. solicite faciunt Historici. De bellis Cæsaris nostri, dixit *Sueton. c. 30.* & pretextum quidem illi civilium armorum hoc fuit, causas autem alias fuisse opinantur. Causa ergò dicitur, quæ propriè & verè movit aliquem, ut bellum susciperet. Pretextus, quidquid ad dissimulationem



veræ causæ speciosè excogitatur, jactaturque in vulgus; illud *αινωαν* hoc *ωφασιν* Polybius vocavit. *Occasio* est, quæ bellanti viam destinata, exequendi commonstrat; egregia in hanc rem extat annotatio, illustribus exemplis cautionibusque debitis confirmata, *Bæcleri in Comment. ad Tacit. 1. Annal. 10. p. 322.* cui addendus *H. Grotius de I. B. & P. II, 1, 1. & II, 22, 1.*

Belli occasio: quæ ex legatione Gallorum desumitur.

Cujus intentione

§. V. *Occasionem* huic bello subministravit *legatio Gallorum ad Cæsarem*, confecto Helvetico bello, gratulatum auxiliumque petitum, missa, quæ *tricesimo & sequentibus tribus capitibus* commemoratur, ac multa notatu digna continet. In universum memorabile prorsus est *artificium*, ex interiori eloquentiæ apparatu desumptum, quo *Divitiacus Æduus*, legationis Princeps, *sincerum mittentium propositum & affectum* Cæsari probare satagit, cum enim gratulationes, quæ victoribus fiunt, plerumque temporis ac necessitatibus dari soleant, tam facile fides eisdem non habetur; hanc itaque ut suis dictis faciat, ostendit *fortunam Cæsaris cum Gallorum penitus esse connexam*, ideoque sibi causam esse gratulandi, quod ex victoria contra Helvetios non minus utilitatis in se, quam in Cæsarem populumque Romanum gloriæ redundet, atque hoc est fortissimum agumentum, mutuus iste communis utilitatis sensus, quo felicitatem successus nobis possumus polliceri. Exemplum simile exhibet oratio Legatorum Gallicorum ad Henricum VII. Angliæ Regem, quam propterea verbotenus conversam Historiæ suæ inseruit *Baconus Verulamius*, ex quibus huc pertinent illa, quando ajunt: *Hæc sunt demum, quæ inter Reges Magnos pro certissimis amoris pignoribus & tesseris merito censeri possunt, communicatio scilicet & participatio mutua negotiorum status, prætermisissis Honoris Ceremoniis curiosis, quæ affectui alicui insigni postponi debent.*

ac Propositio per singulas sui partes signatur.

§. VI. Ut autem eò facilius commoveretur Cæsar, multa animorum submissione verba sua componunt, certisque partibus *orationem* concludunt, quarum *prima presentis sui status miseriam* exhibet, cujus origines atque causæ ex *factiosis certaminibus Æduorum præcipuè, & Avernorum*, in quorum locum *Sequani* deinceps successerunt, repetuntur: hi enim *cum tantopere de potentatu inter se multos annos contenderent, factum esse, uti ab Arvernibus Sequanisq; Germani mercede accerserentur, quorum primo circiter millia quindecim Rhenum transierint, donec bonitate Regionis illecti plures transducti sint, qui initio*

*Æduos,*



*Ad duos, mox ipsos, à quibus in auxilium vocabantur; Sequanos devicerint, & utrisq; nunc superbè ac crudeliter imperarent.*

§. VII. Commonefacit nos hic locus duplicis observationis politicae, quarum prima est, de gravissimis malis factionum in civitatibus aut populis conjunctis toleratarum, quæ quantæ sint pernicipi, sæpè etiam exitio, infinita testantur exempla, tam vetera quàm recentia, sicut ex istis quædam *Cassiodorus l. 3. Var. Epist. 13.* horum verò aliqua *Bodin. l. 4. Pol. c. 7.* consignavere. Summatim ista mala complexus est *Livius. IV, 9, 3.* factiones fuere eruntq; pluribus populis magis exitio, quàm bella externa, quàm fames morbivè, quæq; alia in DEUM iras velut ultima publicorum malorum vertunt. Per singulas verò partes demonstravit *Lipsius VI. Polit. 3.* ex quibus non minima est, quod perejusmodi factiones internas exteris præbeatur occasio invadendi Rempublicam, cujus rei specimen in Civitate Trevirorum infra ponit *Cæsar V. de Bell. Gall. 3.* & similia passim reperiuntur. Altera est de advocandis non nisi cum multa cautione auxiliis externis, ita nimirum, ut vires & robur exercitûs è nostris sint, nec corpus exteri faciant, sed membrum, quod non solum rei militaris Scriptores inculcant, *Veget. de re Mil. III, 1. Leo Imperator in Tactic. XX. 62.* sed & in generalibus Politicorum regulis est. Vid. *Lipsium. V. Pol. 9, 21.* Hujus quoque rei neglectus multis populis servitutem peperit. Notut est Apologus de Cervo & Equo apud *Aristotelem II. Rhet. 20.* ex *Stesichori ad Himerenses Oratione*, versibus ab *Horatio* celebratus *l. 1. epist. 10.* & apprimè huc pertinens:

*Cervus equum pugna melior, communibus herbis*

*Pellebat, donec minor in certamine longo*

*Imploravit spes hominis, frænumq; recepit,*

*Sed postquam victor violens discessit ab hoste*

*Non Equitem dorso, non frænum depulit ore.*

Idem veris exemplis Historicis confirmavit *Bodin. de Republ. V. 5. & V. 22. add. Reinking. Polit. Biblic. l. 3. axiom. 138.*

§. VIII. Altera pars orationis Diviatici continet expositionem periculi, quod communiter non tantum Gallia, sed & Romanis imminerat: nam postquam *Ariovistus* tertiam partem agri *Sequani*, qui esset optimus totius Gallia, occupavisset, & nunc de altera parte tertia *Sequanos* decedere juberet, propterea quod *Harudum* millia hominum *XXIV.* ad eum venissent, quibus locus ac sedes pararentur, futurum esse paucis an-

nis 3



nis, uti omnes è Gallia finibus pellerentur, atq; omnes Germani Rhenum transirent, quod quanto detrimento foret Romanis, ex se manifestum esset. Hujus periculi certitudinem, Gallici cum Germanorum agro comparatione, & Characterè Ariovisti, tanquam hominis barbari, iracundi, temerarii, cujus imperia sustineri non possent, confirmare conatur. Quo facto in tertia parte orationem absolvit, petitione nimirum auxilii: Ita enim sequitur, nisi quid in Cesare populoq; Rom. sit auxilii, omnibus Gal- lis esse domo emigrandum, ut alias sedes à Germanis remotas petant, fortunamq; quæcumq; acciderit, experiantur. Idque cum finem loquendi fecisset Divitiacus, omnes, qui aderant, confirmarunt, & magno fletu petere auxilia à Cesare ceperunt. Ex quibus omnibus apparere potest, non suapte sponte, sed amicorum flagitationibus ad Bellum hoc commotum fuisse Cæsarem, si vera sunt, quæ ab Eodem referuntur, de quo tamen magnam dubitandi rationem habebit, qui ab aliis scriptoribus tradita audiverit: Nam ista omnia, quæ speciosè admodum à Cesare, sub titulo implorati auxilii memorantur, ita à Dione Cassio accipiuntur, ut notet, Gallos, cum cupiditatem Cæsaris vidissent, studio causam conquisivisse, quam illi, ut aliquem armis suis prætextum posset reperire, suggererent, quod existimarent, gratum id fore Cæsari, sicut revera fuerat, facile enim, ut Dio ait, à Cesare obtinuerunt, & Ipse initio c. 33. fatetur, se Gallorum animos verbis confirmavisse pollicitumq; esse, sibi eam rem curæ futuram.

Adhibitâ S. IX. Nos, ut de his rectius judicare, & sequentia feliciter com-  
tamen epi- prehendere possimus, in nobilissimum illum Philosophiæ Practicæ lo-  
crisi politicâ. cum quem *Characteristicum* appellant, paulò intrabimus, videbimus-  
que, an illius disciplinæ virtute, hominum huic Bello permixtorum,  
Characteres, animorumque habitus, ac destinatorum proposita, ex  
voluntatum propensione, morisve publici genio aut temporum incli-  
natione eruere, ac in universum verum totius rei statum penetrare va-  
leamus, ut nec tantum eventus ac alia, quæ in oculos incurrunt, con-  
spicere, sed & eventuum causas, consilia agentum, indeque natas agen-  
di rationes, cum totâ momentorum sese invicem consequentium aut  
connectentium serie, animadvertere liceat; ad quam rem necessarium  
est, ut ipsum *Cæsarem*, deinde *Gallos*, denique *Germanos* accuratius  
noscamus. Ac *Iste* quidem ex nobilissima Juliorum genitus familiâ, in-  
genium nactus est, quale singularium & summorum hominum est pro-  
prium,



prium, quemadmodum *animo super humanam & naturam & fidem* erectum, magnitudine cogitationum aliisque magno illi Alexandro simillimum Eum fuisse tradit Vellejus 11, 41. ut propterea Heroica indoles ei tribuenda sit, cujus virtus, sicut in omnia præclara facinora auctorabatur, ita in Bellorum magnitudine acquievit, eaque primùm Reipublicæ studio felicissimè gesserat, sed ipsius felicitatis suæ successibus non satiatus, ad majora indies molimina extimulabatur, donec ambitione & propria dominationis cupiditate corruptus, omnia huc, tanquam ad proprium finem referret, sicut præter Suetonium & Plutarchum plures annotarunt, nec ipse Vellejus, quanquam adulator, diffiteri penitus valuit. Cicero breviter, sed disertè hunc affectum expressit, *omnia jura divina atq; humana pervertit, propter eum quem sibi Ipse opinionis errore sinxerat Principatum.* Atque hæc Cæsarem sibi jam tum proposuisse, cum Gallica bella auspicaretur, expressè notavit Dio in enarratione Belli Helvetici, quod nostrum antecesserat. Quod Gallos attinet, illorum Characterem nemo rectiùs ac Ipse Cæsar, compluribus annis inter illos versatus, nobis exprimet, quod in Commentariis suis de Bello Gallico sæpissimè quoque fecit; tribuit ipsis primo *desultoriam animi levitatem*, quod *mobiles sint ingenio ac repente tumultuentur*, ac in univèrsam *subita & repentina consilia* toveant, vid. l. 3. c. 8. l. 5. c. 22. & 53. præcipuè circa Bellum id ostendere eosdem ex l. 3. c. 10. constat, ubi *omnes fere Gallos novis rebus studere, & ad bellum mobiliter celeriterq; excitari*, docet add. l. 4. c. 5. Atque in his omnibus non palam, sed clanculum & furtivis consultationibus occupari, specimen habemus non solum præsentis bello, quando in Concilio, quo de rebus cum Cæsare tractandis agebant, *jurejurando, ne quis enunciaret, nisi quibus communi consilio mandatum esset, inter se sanxerunt*, ac Cæsarem quoque petierunt, *ut sibi secretò de suâ omniumq; salute cum eo agere liceret*, contenderantque, *ne ea, quæ dixissent, enunciarentur*, vid. c. 30. & 31. sed & infra l. 3. c. 53. *Nocturna in locis secretis concilia eos habere* ait. Præterea mollitiem quoque eorum in perferendis malis signat l. 3. c. 19. *Sicut ad Bella suscipienda Gallorum alacer & promptus est animus, sic mollis ac minimè resistens ad calamitates perferendas mens eorum est.* Tandem notat eorum *nimiam credulitatem* l. 7. c. 42. iis verbis: *Temeritas maximè illi hominum generi est innata, ut levem auditionem habeant pro re comperta.* Ut alia taceam. Ex quibus omnibus si quis judicium in-

B

struere



struere sustineat, facile deprehendet, verum utique esse quod à *Dione* est traditum, & bellum isthoc non tam ex causis à Germanis suppeditatis, quàm à Gallorum *mobilitate animi* exortis, ac *Cæsaris bellandi dominandiq; libidine* promotis, susceptum esse, quod eo magis apparebit, si quis *Germanorum* quoque *Characterem* subjunxerit; maximè huc spectat *fides* eorum ac *virtus*, qua nullos mortalium ante ipsos esse non tantum apud *Tacitum XIII. Annal. 54, 5.* sed & ipsum *Cæsarem IV. de Bello Gall. 7.* legimus, iisque si *imperandi facilitatem* addamus, qua in *Germania sua* eosdem passim commendat *Iste*, parum aberit, ut dicamus, sola novarum rerum cupiditate permotos esse Gallos, ut, pertasi Germanorum, iusti utique in se imperii, maluerint Cæsari, novo victori se conjungere, à quo tamen postea non minus, ac nunc ab Ariovisto, desciverint.

Deinde nota & Belli causæ.

§. X. Sollicitus nihilominus fuerat Cæsar, ut *causis* sufficientibus hoc bellum se suscepisse ostenderet, quod c. 33. præstare voluit, quales ut penitus cognoscantur, supplenda erunt, quæ apud alios scriptores super istis traduntur. *Dio Cassius* prolixam refert *Cæsaris Orationem ad milites*, in qua plures adducuntur rationes, quæ heic omittuntur, quanquam pro justificis vix possint haberi. *Florus*, uti ex Cæsare collegerat, *justissimis quidem ex causis* ortum putat, fundatque in *sociorum defensione*; Sed interiorem causam detegit *Plutarchus*, quod Cæsar *id fecerit, metuens, ne agrum* ex clade Helveticorum *vacuum Germani transmissio Rbeno invaderent.* Hinc cum Germanis planè pro Gallis bellaverit, quamvis Regem illorum *Ariovistum* ante Romæ appellaverat *socium.* Verba ejus hæc sunt: ἔπειαξεν δὲ τῆτο, ὑεδιως, μὴ τὴν χῶραν ἐρημον γενομένην οἱ Γερμανοὶ διαέαντες κατὰσχῶσιν. δεύτερον δὲ, πρὸς Γερμανὸς ἀντικρὺς ὑπὲρ Κελτῶν ἐπολέμησεν, καίτοι τὸν βασιλέα πρῶτον αὐτῶν Ἀριόβουσον ἐν Ρώμῃ σύμμαχον πεποιμημένον. *Plinius* in sequentibus, ubi de Bello cum Tenchteris gesto, ἢ ταύτης λαβῶν αἰτίαν πρὸς αὐτὸς ὁ Καίσαρ, ἄλλως δὲ δόξης ἐφιέμενον. Hoc arrepto contra eos prætextu Cæsaris, revera glorie cupidus. Et hoc studium proroganda glorie bellicæ etiam *Dio* innuit, quo Ariovistum opprimere & ex oppressione ejus famam, fortè & dominationem quærere optaverit; id quod Ariovisto etiam subodoravit, palam Cæsari in colloquio objicienti: *debere se suspicari, simulata Cæsarem amicitia, quod exercitum in Gallia habeat, sui opprimendi causa habere,* nimirum valet hîc illud *Taciti: Libertas &*

Exque vel veræ

vel apparentes.

*speciosa*

speciosa  
nati  
pro  
mus  
tres  
in di  
vina  
puli  
metu  
man  
hunc  
tenti  
omn  
Cim  
Max  
de in  
riam  
man  
quis  
hæc  
e. 6.  
gat,  
S.  
fa, au  
cuis  
sicut  
Polit  
Ædu  
acti,  
e. 31.  
rere  
to, fa  
ma a  
injur  
ex iis  
& O





sp.iosa nomina pratexuntur, nec quisquam alienum servitium, & dominationem concupivit, ut non eadem ista vocabula usurparet. Cæterum si propriis nominibus exprimendi tituli, quos Cæsar palam allegavit, prius ratione juvandi socios nititur, ita enim disserit, quod *Æduos fratres consanguineosq; sepe numero ab Senatu appellatos, in servitute atq; in ditione Germanorum teneri, iniquum existimaverit.* Alter studium vindicandi dignitatem populi Rom. continet, quod in tanto imperio populi Rom. turpissimum sibi & Reipubl. hoc esse arbitratus fuerit. Accedit metus ex crescente vicini potentia; quod paulatim consuescerent Germani Rhenum transire, quod Populo Rom. periculosum viderit, metumq; hunc non vanum aut dubium sed certum esse, deducit, ab ingenio, potentia, exemplisque antecedentibus horum populorum, quos sibi cum omnem Galliam occupassent, non temperaturos existimabat, quin ut *Cimbri Teutoniq; fecissent, quod præter Epitomatores Livii, Valerius Maximus, Plutarchus aliiq; describunt, in provinciam exirent, atq; inde in Italiam contenderent.* Additur occasionis ad inferendam injuriam opportunitas, quum *Sequanos, quorum in fines transierant Germani, à Provincia Romana Rhodanus tantum, ut recte Planudes aut quisquis est Græcus Interpres, supplet, divideret, nec alio munimento hæc defenderetur, ille autem locis nonnullis vado transiri possit, quod e. 6. notavit Cæsar.* Ultimò arrogantiam & superbiam *Ariovisti allegat, quod tantos sibi spiritus sumserit, ut ferendus non videatur.*

Quæ à Cæ-  
sare præte-  
xuntur spe-  
ciosè.

§. XI. Verum enim verò isthæc omnia ad rectam rationem expensa, aut parum aut nihil justitiæ continent: Nam quod de juvandis sociis dicitur, in thesi & extra casum præsentem efficaciter nominatur, sicut justitiam hujus causæ asseruerunt *Grotius II, 25, 4. ac Lipsius IV. Polit. 4, 8.* At in applicatione, mutatur causæ status, erant equidem *Ædii olim Romanorum Socii, sed nunc ab Ariovisto in ditionem redacti, idque jure belli, quod in oratione suâ ad Cæsarem ipsi fatentur e. 31. & Ariovistus e. 36. amplius demonstrat; An autem liceat succurrere armata manu amicis, non absolutè talibus, sed cum additamento, subditis, & etiam, postquam jugum subierunt, in eorum auxilia arma arripere, hoc est, pro subditis alienis, ut ab iis arceatur impetrantis injuria, bellum suscipere?* nondum plane expeditum est, sicut constat ex iis, quæ apud *Grotium II, 25, 8. traduntur, illustranturque à Zieglero & Osandro.* Quicquid denique causeris, vix est, ut in eo acquiescamus,

A nobis re-  
futantur or-  
dine.



mus, quod Pufendorf. de Jur. Nat. & Gent. VIII, 6. 4. admitit, ut non alio casu alienorum subditorum defensio licite suscipiatur quam quo ipsi immanem superiorum sevitiâ armis rectè abs sese possunt amoliri, quod extremæ necessitatis casum arguit, in quo sanè Æduos fuisse constitutos, non apparet, quicquid enim afferunt, ad minimum Juris Gentium licentiâ defendi potest, quid enim iniqui est, devictos omnem nobilitatem, senatum, equitatum amittere, aut victori obsides in fidem obsequii dare nobilissimos Civitatis? Quin cum Stipendiarios eos solum effecerit Ariovistus, ut exc. 36. constat, videtur temperamento etiam Juris Bellici, quod Grotius III, 15, 6. commendavit, locum reliquisse. Illud etiam quod jurejurando Civitatem Æduorum obstrinxerit, sese neque obsides repetituros, neque auxilium à populo Rom. imploratuos, neque recusatuos, quo minus perpetua sub ditione ac imperio essent, eodem modo defenditur, aut enim jurato non promittere, aut fidem servare, postquam semel promiserunt, debebant, cum hoc jus inter ipsos quoque hostes valeat, ut ostendit Grotius II, 13, 15. & III, 19, 1. add. Illustr. Strauchius Dissert. de Imp. Mar. c. 9. §. 2. Et quamvis se metu coactos dicant, sciendum tamen est, exceptionem metus saltem inter non-hostes habere locum; jure verò Gentium introductum esse, ut metus belli pro justo habeatur, adeò ut quæ in eò, vel ejus finiendi causa promittuntur, adeò sint valida, ut invito eo cui promissa sint, in irritum deduci non possint, idque tanto magis, si juramento sint confirmata, uti multis locis demonstravit Grotius, II, 17, 19. III, 1, & 4, & II, III, 232. add. Alb. Gentil. de Jure Bell. III, 14. p. 595. Quare si re quapiam non præstitâ, ab Ariovisto exempla cruciatus in eos sint edita, habeant, quod sibi imputent: ut enim non probem eorum sententiam, qui Jure interno, tam durè haberi aut occidi etiam obsides posse statuunt, quos idem Grotius III, II, 18. refutavit; tamen juris gentium rigori id non repugnare, multis exemplis ostendit Alberic. Gent. de Jur. Bell. II, 19. add. Grot. III, 4, 14. Ex quibus luculenter constat, non amplius in ea conditione fuisse Æduos, ut à Romanis potuerint defendi.

§. XII. Sed nec cæteræ rationes suum locum tuentur; quod enim secundam attinet, inter causas belli suasorias, ea forte audiri potest, inter justificas verò neutiquam, id quod de tertia etiam asserendum est, quam, licet Baconus Verulamius in serm. fidel. 19. p. 91. Alb. Gentilis de Jure Bell. I, 14. alique inter justas belli causas allegare non dubitent;

mih



mihī tamen illorum Philosophia tutior videtur, qui putant, solum hunc metum ad capiēda arma non sufficere; quanquam fatear, in consultationem de bello eandem venire, non sub ratione iusti, sed sub ratione utilis, ut si ex alia causa iustum sit bellum, ex hāc causa prudentes quoque susceptum iudicetur, ut *Grotius* loquitur II, 1, 17. add. II, 22, 5. *Pufendorf. de Jure Nat. & Gent. II, 5, 6. & VIII, 6, 5. Reinking. Polit. Biblic. l. 2. axio n. 46.* Pro illā, quae novissimē adducta fuit, causā, multos hodiē quoque pugnare videmus, qui populos illos, qui magnos sibi spiritus sumerent, contemptoresque Regum essent, legitimē à Regibus, illato bello, coerceri posse autumant, ut in officium redire, cumque aliis humaniter vivere discant; sed sive quis ad hypotheses Grotianas, de bello pœnali, quale in philosophia saniore nullum dari, nobis persuasissimum, & à *D. Grashofio* *diff. de origine facultatis moral. p. 9.* satis demonstratum est, animum intendere, sive ad quascunq; alias communis Juris regulas decurrere velit, nihil penitus evincet, credo, pro vindicandis bello his & similibus vitiis, quae sicut quandoque incitamentum ad bellum præbere possunt, causam justificam certè nunquam præbent.

§. XIII. In eo tamen laudari meretur *Cæsar*, quod quamvis idoneis se causis munitum esse existimaverit, ad arma non statim pervolverit; cum enim bellum sit subsidiarium homini remedium, pro confugiendo jure suo à natura demonstratum, ut præter *Grotium*, III, 3, 6. & II, 7, 2. notavit *Pufendorf. Elem. Jurisprud. Univers. l. 1. def. 3. n. 6.* ad id confugiendum non est, quamdiu ordinariis via omnis non est præclusa; nam, ut rectè ille apud *Terentium* 4. *Eun. 7. Omnia prius experiri verbis, quam armis sapientem decet, quæ scis, an, quæ jubeam, sine vi faciat?* quem locum multis excoluit *Alberic. Gentil. de Jure Belli, II, 1, p. 215.* Hinc per modum colloquii controversias componi prius tentavit, id enim inter media belli vitandi haberi, ostendit *Grotius* II, 23, 7. & *Lips. V, 4, 13.* add. *Pufendorf. de Jure Nat. & Gent. V, 13, 2.* Quamobrem Legatos ad *Ariovistum* misit, ut locum aliquem, medium utriusq; colloquia deligeret, c. 34. Certè, si quis *Cæsarem* audiat, nihil est, quod non laudem mereatur, sed *Dio Cassius* aliud propositum *Cæsaris* fuisse refert, eumque non studio pacis hæc suscepisse, sed ut dissidii ab *Ariovisto* acciperet occasionem, disertè innuit, ne scilicet prior eum invadere videretur, sicut ipsa legatorum petitio aliter à *Dione* ac *Floro*, quam à *Cæsare*

Quod si  
supponit  
etiam  
ad bellum

Tractatus  
etiam de ra-  
tione vitan-  
di belli.

Colloquii  
qualis est

Colloquii  
qualis est

on  
o ipsi  
liri,  
con-  
Gen-  
no-  
idem  
s fo-  
to et  
quis-  
erit,  
uros,  
eo-  
dem,  
inter  
add.  
tu co-  
non-  
metus  
a pro-  
itum,  
nata,  
1, 232.  
non,  
quod  
re in-  
quos  
on re-  
II, 19.  
in ea  
d enim  
est, in-  
am est,  
ilis de  
bitent;  
mihī



proponitur, neque enim illi de delectu loci alicujus *medij*, qui omnino eum securitatis, tum dignitatis utrinque conservandæ ratione requirebatur, mentionem faciunt; sed simpliciter, *veni ad Casarem*, dixisse legatos tradunt, ad quos & propius accommodata videtur responsio *Ariovisti*, etiam prout à *Cæsare* exprimitur, *si quid ipsi à Cæsare opus esset sese ad eum venturum fuisse, si quid ille se velit, illum ad se venire oportere*, quam malè pro *superba* exagitat *Florus*, gaudebant enim æquali potestate. Et quoniam *Cæsar* jam armatus, in provinciam ab *Ariovisto* subactam, intraverat, cum colloquium petiisset, justè etiam denegare hoc poterat *Ariovistus*, cui *locum non esse, ubi jam vis est tentata*, *Cæsar* ipse *Germanis* infra respondit, & ex analogia eorum, quæ de recipiendis vel non recipiendis legatis eorum, qui in nostris ditionibus exercitum habent, disseruit *Grotius*, II, 18, 3. & in notis, facile potest demonstrari. Eadem ratione pragmatica usus est *W. W. Dux Neoburgicus*, qui, cum à *F. W. Brandenburgico Electore*, post plura in *Ducatu Bergensi* loca occupata, colloquium peteretur, non aliter, quàm si prius exercitum educeret, consensit, sicut utriusque Principis literæ apud *Londorp. contin. p. VI. l. 4. c. 153. 154.* testantur. Cæterum colloquium heic denegatum ultrò petitur ab *Ariovisto* c. 42.

Quod repudiari nequit, nisi causa idonea subsit

II. Pars continet progressum belli. Ubi considerandum: tum jus militare, de quo uterq; belligerantium sibi prospicit.

§. XIV. Interea *Cæsar* responsio *Ariovisti*, quod ad contumeliam nominis *Romani* spectare videbatur, commotus, notante *Dione*, primus bellum movet. Cui præmittit *expostulationem* cum *Ariovisto*, *repetitionem rerum, & clarigationem conditionatam*: his enim terminis, si propriè loqui velimus, consignanda erunt quæ c. 35. continentur. Atque hinc jam si accuratiorè disciplinam sectemur, principium belli repetendum est, quippe quod non ex *invasione* aut *certaminibus* æstimari debet, sed ex *statu* hostili, sicut rectè & *Grotius*, I, 2, 2. bellum non per *vim*, quod *Cicero* fecerat, sed per *statum* definivit, quàm definitionem certatim omnes approbant: nam quæ *Feldenus* ac *Osiander* ad d. l. *Grot.* causabantur, *Bæclerus* eodem loco, & *Obrechtus* *Diff. de Ration. Bell. c. 1. num. 2.* satis expediverunt.

*Cæsar* quidè in clarigatione suâ, quâ *Ariovisti* ingrati vitium exprobrat.

§. XV. In *expostulatione* *Cæsaris*, quam per Legatos iterum missos apud *Ariovistum* instituit, notanda est specialior ratio, quare *ingrati vitium* ei objecerit, ait, quod tanto suo populoq; *Rom.* beneficio affectus, quum in *Consulatu* suo *Rex* atq; *amicus* à *Senatu Romano* appellatus esset, hanc sibi populoq; *Romano* gratiam referret, ut in colloquium venire in-

vitus



*vitus gravaretur.* Nimirum pro summo honore maximoque beneficio debere sibi exteris gentes reputare, Romani existimabant, si inter *Amicos* adsciscerentur, de qua consuetudine populi Rom. videri possunt, quae *Franciscus Hotomannus in Manilianis Ciceronis* commentatus est. Exempla eorum, qui Consulatu Caesaris amici ab Senatu appellati sint, plura refert in *commentariis* suis, quae verò ratione quibusve formularum solennitatibus heic uti consueverint, ut conquiramus, prærepta nobis est opera à Gallorum Doctissimo *Barnaba Briffonio*, qui, uti in similibus aliis, ita his quoque colligendis industriam suam intendit. *l. 4. de Formul. & solennib. Pop. Rom. verb. p. 233.*

§. XVI. Sed quoniam ad Bellum justum ex jure gentium non sufficit, inter summas utriusque potestates geri, sed oportet, ut & publice decretum sit, atque alteri indictum, uti *Alber. Gentil. de Jure Bell. II, 1. & Grotius III, 3, 5.* ostenderunt, *indictionem* quoque addit Caesar, ita tamen, ut *rerum repetitionem* præmittat, quo nomine non tantum rapinae crimen, sed & damnum omne omnemque injuriam contineri, ac isthoc *clarigationem* aliàs dici, præter *Plinium l. 22. c. 12.* notavit *Servius ad IX. Aeneidos p. 565. edit. Daniel.* Atque in his ferè consistunt petita Caesaris, primò, *ne quam multitudinem hominum amplius in Galliam transducatur*; deindè *obsides*, quos ab *Aeduis* haberet, redderet; neve tandem *his sociisve eorum bellum inferret, si id fecisset, amicitiam cum eo futuram, si non impetraret, se Aeduorum injurias non neglecturum.* Habemus hic specimen *clarigationis conditionatæ*, quam rectè à *pura* distinguit *Grotius III, 3, 7. &* qui eum sequitur, *Textor in Synopsi Jur. Gent. cap. XV II, n. 53.* Neque enim ad infringendam istam partitionem sufficit cum *Ziegler. in Comment. p. 534.* dicere, quod *etiam pura semper contineat repetitionem rerum & satisfactionem*, si non expressè, saltim tacitè; siquidem tacitas conditiones actum conditionatum non efficere, satis constat, & à *Jotis Romanis* passim ostenditur. Quin nec omnes *indictiones puras* conditionem etiam tacitam admittere, vel exemplum Principis cujusdam exacerbati probat, qui nullà ratione se placari, nec oblatam satisfactionem accipere velit. Cæterum *indictio belli sic facta est per Legatos.* Effet nobis propterea occasio de diversis *modis indictionum* ex variarum gentium institutis differendi, ostendiq;, quomodo subinde talia progressu temporis mutaverint, sed hujus quidem rei exempla jam adduxit *Arnobius l. II. contra Gentes*: de istis verò præcipuos

Eique bellū  
indicit.

indictio  
indictio  
indictio



præcipuos nominabimus scriptores. De moribus *Hebraeorum* heic usurpari solitis præclarè egit *Seldenus de Iure Nat. & Gent. secund. disciplin. Hebraeor. l. 6. c. 13.* Consuetudines *Græcorum* & aliorum quorundam populorum notavit *Grotius III, 3, 8,* Instituta verò fecialia *Romanorum* exhibuit *Barnab. Briffonius, de formul. l. 4. p. 341.* Hodie plerumque indictio fieri solet per libellos publicos, quos *Manifesta* vocant, ubi causæ suæ iustitiam asserere, omniumque oculis exponere belligerantes fatagunt, de quibus videnda est *Bæcleriana Dissertatio*; aliquando etiam *feciales* seu *Heroldi* mittuntur, sicut exemplo *Francisci I. Gall. Regis*, ita *Carolo V. Imperatori* bellum indicentis, docemur apud *Sleidan. Commentariorum l. 6. p. 150.* Solent etiam bellum molientes *legationibus ac literis ad vicinos Principes* armorum suorum necessitatem significare, hostilem iniustitiam accusare, ut suæ quisque causæ favorem, amicos, auxilia conciliet, cuius moris suam examinat, & quomodo eodem uti debeamus, ne, quod aliquando factum esse legimus, in contrarium operetur, præclarâ annotatione docuit *Christophorus Forstnerus ad Tacit. XV. Annal. c. 13. p. 135.*

Ariovistus  
verò in re-  
sponso suo.

§. XVII. Sed quid Ariovistus? nec ille solâ vi nititur, sed & *disceptatione juris*, titulosque à *Cæsare* adductos, in responso suo legatis dato, examinat, cuius summa, prout *c. 36.* refertur, huc redit, ut causam suam muniat *jure belli*, ex quo victori facultas usurpandi imperii in victos nascitur, id quod prolixè quoque demonstratur à *Grotio III, 8. & 15.* ac *Alber. Gentil. de Iure Bell. III, 10. & 11.* Imò se subsistere intra terminos etiam naturalis æquitatis, nec secundum rigorem, quem aliàs jus gentium eidem concederet, sed temperamentum illud, quod supra commendavimus, subjectos suos habere, ostendit, quando *Æduos, qui belli fortunam tentassent, & armis congressi ac superati essent, se stipendiarios fecisse* docet. Cætera quæ subjungit, vim juris certi sustinent, nil enim à *Cæsare*, præter officium illud, quod ex naturali hominum æqualitate oritur, desiderat, *si ipse, ait, populo Rom. non prescriberet, quemadmodum suo jure uteretur, non oportere se à populo Rom. in suo jure impediri*, unde quod generaliter nimis petierat *Cæsar*, ne omninò fociis bellum inferret, ille rectè restringit, *se non illaturum injuria*, nec enim plura æqualis ab æquali petere poterat. Deniq; minis *Cæsaris* alias minas opponit, *neminem secum sine suâ pernicie contendisse, cum vellet congrederetur ex consuetudine nempè Germanorum à majoribus sibi tradita,*  
qua



qua bellum eos non inferre, neque tamen recusare, si laceffantur, sed resistere, nec deprecari, infra *Cæsar* notat *l. 5. c. 7.* Quare etiam milites suos laudat *Ariovistus* efficaciter, argumento desumpto non à magnitudine corporum aliisque externis, quibus vulgus communiter moveri solet, sapius quoque milites Romani & hoc etiam bello trepidaverunt, sed à virtute militari & exercitio, qualia periti etiam *Duces* attendunt, quod magnum momentum ad victoriam præstent, ut ex *Vegetio* notavit *Lipsius. V. Polit. 13, 13.*

§. XVIII. Dum hæc inter *Cæsarem* & *Ariovistum* agebantur, *Harudes* *Æduorum* agros populati, *Suevorum* verò pagi centum *Rhenum* transire conati sunt, quibus permotus *Cæsar*, à genere decertandi perdisceptationem ad vim progrediendum sibi existimavit. Ubi laudanda præcipue venit ejus prudentia, cujus specimina *c. 37.* edidit: Primum in discernendis hostium copiis, dum maturavit ad impediendum, ne nova manus *Suevorum* cum veteribus copiis *Ariovisti* sese conjungeret: est enim hoc consilium omninò inter imperatoria, ut cum distractis potius quam conjunctis hostibus congregiatur, quo etiam supra in *Helvetico* *c. 12.* peculiarique artificio in *Belgico* bello *l. 2. c. 5.* usus est *Noster*. Regula universalis de faciendâ virium hostilium divisione, quam satis apto vocabulo *diversionem* appellant, notatur à *Frontino* in *stratagemat. l. 1. c. 8.* commentatione verò egregiâ illustratur à *Paulo Paruta* *Disputationum Politicar. l. 1. c. 6.* & *Christophoro Forstnero* ad *Tacit. 1. Annal. p. 89.* Alterum consistit in comparanda *refrumentaria*, cujus necessitatem & momenta ad felices progressus expedivit *Vegetius de re Mil. l. 3. cap. 26.* add. *Lips. V. Pol. 6, 9. seqq.* Tertium exemplum præbet celeritas itineris, cujus, sicut alias, miranda præbuit specimina, ita hîc etiam ostendit, cum *Ariovistum*, ad occupandam *Vesontionem* *Sequanorum* *Oppidum*, quam hodie *Besançon* appellant, in *Comitatu Burgundico* sitam, contendentem, præverteret; quod ut clariùs appareat, conjungi debent, quæ de gradu militari *Romano* proprii annotarunt scriptores. Ipsam occupationem *Vesontionis* utilem *Cæsari* fuisse, ex rationibus quæ *c. 38.* habentur, certum est; sed quo jure ea fieri potuerit? cum illius oppidi incolæ neque socii, neque hostes, sed medii fuerint, non immeritò quæritur. Cujus definitio ex illa quæstione dependet, quo titulo locum in solo pacato situm, non consentiente Domino, si periculum sit, ne hostis eum invadat, & inde irreparabilia damna det, liceat occupare. Hodier-

Tum prudentia militaris, cujus egregia specimina exhibet *Cæsar*: non solum adversus hostem, sicut sigillatim recensentur,



nis bellatoribus nostris fundamentum juris eximium suppeditare videtur *ratio belli*, quam vocant, vulgo *raison de guerre*; sed valdè malum id iudicat *Forstner. ad Tacitum XIII. Annal. 41. p. 253.* qui commentum hoc esse asserit, *Principibus Ducibusq; nostri ævi excogitatum, quo plerq; crudelitatis atq; iniusticie famam incurrentia aut commendent aut excusent.* Add. *Reinking. Polit. Biblic. l. 2. axiom. 37. append.* Sanè exemplis si standum esset, sufficienter hoc docent non solum ea, quæ apud *Forstnerum & Reinkingum* sequuntur, sed & nos observationis admodum recentioris specimina possemus adducere, si instituti ratio ferret, ea, quæ memoriæ omnium in hærent, stylo signare; videantur interea quædam apud *Dan. Heinsium in obsidione Sylve Ducis, & Boxhorn. in obsidione Bredanâ.* Existimo tamen, per se spectatam *Rationem belli* rem innoxiam esse, & si per eandem nihil aliud quam *jus necessitatis* intelligas, hinc ejusmodi facto patrocinium quoque reperiri posse, nullus dubito: nam quæ adducti scriptores tradunt, ad *abusus* pertinent, qui sicut heic gravissimi subinde esse solent, notante amplius *Bæclero Diff. Quies in turbis. p. 215. 216.* ita certè legitimo usui obesse nequeunt, ex limitibus istis ac terminis unicè æstimando, quales *Grotius II, 1, 2. II, 2, 10. & III, 17, 1,* constituit & applicari *Dissert. de Ratione Belli* explicavit *Obrechtus.* Add. *Pufend. de Jure Nat. & Gent. II, 6, 8.*

Sed & erga  
suos milites.  
Quos cum  
federationem  
minabantur.

§. XIX. Sed in dirigendis etiam militibus suis non minorem fuisse prudentiam Cæsaris, ea, quæ c. 39. 40. 41. recensentur, satis demonstrant. Exhibetur ibi *specimen terroris panici*, dum paucos dies ad *Vesontionem* rei frumentariæ com meatibusque causâ Cæsar morabatur, crescentis in multitudine militum, imò si quis attentius consideret, vera *defectionis militaris semina* ostenduntur, quibus tamen egregiam *medelam* Noster adhibuit. Exemplum parallelum extat apud *Tacit. 1. Annal. 16. seqq.* quod ad illustrandum hoc omninò debet conducere. Possemus heic iterum amplissimâ observatione philosophiæ characteristicae partem locupletare, si dissertationis ratio pateretur: nam Cæsar utique non minore iudicii acrimoniâ penetravit, quam styli facundiâ descripsit notas istas, unde militum suorum animos, & prout illi affectibus, potissimum metu ac spe occupari se passi fuerint, æstimare, ac in ordinem deinceps componere valebat. Sed suffecerit nobis potiora istius metus momenta breviter signasse. *Origo*, ut plerumque fieri solet, ab *iis, quibus minor aut nullus usus erat in re militari*, manavit, militibus



tibus nempe, qui ex Urbe amicitiae causa Caesarem sequebantur, quales voluntarios hodie dicimus, quorum alii variis causis illatis, discessum petebant, qui pudore adducti remanserunt, nec vultum fingere, nec lacrymas interdum tenere poterant: Unde apparet, hos saepius, aequè ac caeteram militiam urbanam vel rusticam, der Ausschuss/ das Landvolck/ noxios magis esse quam utiles, quam in rem videri possunt, quae in loco de delectus militari super his differunt Scriptores. Cum etiam ex rebus levibus oriri iste terror ceperit, ex fama de ingenti corporum magnitudine & incredibili virtute Germanorum, comprobatum est, quod apud Curtium IV, 13, 5. dicitur; Militem saepe vanis & inanibus magis quam justis formidinis causis moveri. Sed paulatim progressus factus est, etiam ad peritiores, eosque qui magnum in castris usum habebant, qui priorum vocibus ac timore perturbabantur, nisi quod isti timidi esse, quam videri maluerint, quando metum omnem cum dissimulare nequibant, in eas causas, ex quibus & fortibus metuere licet conijcere sustinuerunt, in angustias puta itineris, sylvarum magnitudinem, rei frumentariae difficultatem; ad plenam vero ἀκμὴν res pervenerat, cum abdiri in tabernaculis, de quorum constitutione ac forma egit Lipsius de mil. Rom. l. 5. dial. 5. fatum suum quererentur, totisque castris testamenta obsignarentur, quod in simili exemplo factum quoque memorat Vellejus, II, 5, 3. ita ut à vera seditione parum abfuerit, cum jam nec dicto amplius audientes esse volebant milites.

§. XX. Praesenti interim animo fuerat, ac de restituendis ipsis quoque militibus sollicitè cogitaverat Caesar, idque etiam praestitit, habitâ Non minori ad Centuriones suos insigni oratione, quam c. 40. quasi compendio ejus rationes narrat, per plura autem rationum momenta diffundit Dio Cassius l. 38. expediuntur. p. 90. usque 99. Nos pro ratione instituti ἀξιωματικὰ quaedam Politica inde notabimus. In universum publica monita & orationes Ducum quid apud milites valeant, si prudenter adornatae sint, demonstrat Veget. de re mil. l. 3. c. 11. Caesar utique prudentiae suae varia edidit specimina, in iis potissimum, quod (I.) ad concilium non omnes, sed primores singularum legionum ordinumque centuriones vocaverit, quoniam plura dicenda fuerant, quae intererat Caesari, ne hosti enunciarentur; quod pertinet ad locum communem de secretò habendis consiliis, praefertim militaribus, de quo Frontinus Stratag. lib. 1. c. 1. videri potest. (II.) Quod egregiè officii sui eos commonefecerit, incusaveritque dum quo



*consilio ducerentur sibi querendum aut cogitandum putaverunt.* Extat  
 similis reprehensio l. 7. c. 52. & videtur propriâ arte, quæ Ducis, quæ  
 militis sint, subinde exposuisse *Cæsar*, uti constat ex *Suetonio* c. 66. insi-  
 gnis verò parallelismus est, si quis *Pauli Consulis* apud *Livium* l. 44. &  
*Othonis* apud *Tacitum* i. *Hist.* 83. & 84. orationes ad milites, hinc con-  
 tulerit. Neque Magistratum inferiorum aliam ac gregarii militis ra-  
 tionem esse quoad obsequii necessitatem, existimo, de quibus idem ac  
 in *Dialecticis* de specie intermediâ dici potest, quod sicut hæc, si genus  
 respicias, species, si speciem infra positam, sit genus; ita *Magistratus*  
 illi, inferiorum quidem ratione habitâ, publicæ personæ; ad superiores  
 si considerentur, privati sint habendi, ut *Grotius* loquitur de *Jur. Bell. &*  
*Pacif.* I, 4, 6. atque hoc satis exposuit *Otho*: *Ita se Ducum autoritas sic*  
*rigor disciplinae habet, ut multa etiam Centuriones Tribunosq; tantum*  
*juberi expediat.* Secus si foret, omnia pessum ire, bene observat *Thu-*  
*anus* l. 112. *Hist.* p. 552. (III.) *Quod causas belli suis exposuerit;* quamvis  
 enim nullo jure adstringatur Princeps, ut illæ subditis, hostibus aliisve  
 mediis edicat, nisi quatenus ad solennitatem bellorum ex jure gentium  
 clarigatio requiritur, quin tamen id ipsum consultum sit, asserendum  
 omnino est, ob rationes à *Grotio* II, 26, 4. adductas. Præcipue verò me-  
 morabile est (IV.) *artificium excitandi exercitus* illud, quo de fide deci-  
 mæ legionis tam præclare se sentire testatur, cum qua sola si nemo se qua-  
 tur, se in hostem iturum, sibi que eam *Prætoriam cohortem* futuram præ-  
 dicat; cujus apud Romanos qualis ratio fuerit, abundè docet *Lipsius*  
*de milit. Rom.* l. 2. dial. 4. Alibi dicitur *amicorum cohors*, nobis *Das*  
*Leib-Regiment*: Nam sicut hoc ipso eandem reddidit alacriorem, tra-  
 dente *Dione*; ita ceteros pudore ac emulatione ad similem virtutis  
 gloriam excitavit, ut c. 41. docemur. Id verò inter artes boni Ducis  
 esse, notavit, præsentisque *Cæsar* exemplo confirmavit *Frontin.* l. 1.  
*stratag.* II. hoc autem *Homerici Diomedis* imitatione fuisse factum, ob-  
 servat *Petr. Victor.* l. 28. *variæ.* c. 3. Denique consilii interioris etiam  
 est (V.) quod *vim omnem prætextibus*, vitandæ timoris suspitioni quæsi-  
 tis præciderit, quos inter præcipuus erat, *angustia itinerum*, nam rem  
 frumentariam jam curaverat *Cæsar*, quare ut & illas evitaret, *millium*  
*amplius quadraginta circuitu locis apertis exercitum duxit*, cujus facti  
 utilitates dijudicari possunt ex iis, quæ de eligendo prudenter itinere,

mili-



ilitari tradit Frontinus l. 1. stratag. 4. & prolixiore commentatione  
illustrat Veget. de re Mil. l. 3. c. 6.

§. XXI. Quibus omnibus tam benè dispositis non poterat non re-  
spondere eventus. Decima legio pro Judicio de se optimo gratias e-  
git, ceteræ declinare à se crimina, quorum à Cæsare arguebantur, co-  
nata, satisfactionem præstiterunt, celeritate postmodum itineris tam  
promptè expedita, quâ teste Dione commotus est Ariovistus, ut Collo-  
quium, quod antea negaverat, ultro petendum existimaret. In quo  
describendo cap. 42. usq; ad c. 46. nobilissimæ observationis argumen-  
tum præbuit Cæsar, ad quod exempla colloquiorum, qualia in histo-  
ria veteri ac recentiori plura occurrunt, conferri debeant ac dijudi-  
cari.

Quàm feli-  
citate com-  
pescuit.

Eoq; Ario-  
vistum ad a-  
lia consilia  
adegit.

Ad petendū  
colloquium

§. XXII. Sunt autem tria præcipuè, quæ heic veniunt conside-  
randa: Apparatus colloquii, colloquium ipsum, ejusque exitus. Ad ap-  
paratum refero primùm, questionem juris, an simpliciter quis ad ineun-  
dum colloquium oblatum obstrictus sit? quam §. XIII. ajendo defini-  
mus, ita ut certis in causis exceptioni reliquerimus locum. Deinde  
questionem consilii adjungo, an semper tutum sit? Ubi utilitates quisque  
suas ratiocinari ipse debet, instrui tamen hæc consultatio potest ex iis,  
quæ de modo colloquiorum, præcipuè militarium prudenter instituen-  
dorum tradunt Viri Pragmatici; egregia in hanc rem extat digressio  
Cominei Hist. l. 3, p. 227. quâ minis consultum esse, ut Duces ipsi col-  
loquantur, quod plerumque ex congressu tali autoritas minuatur, exi-  
stimat, ac exemplo Friderici Tertii & Caroli Burgundi, aliisque pluri-  
bus, quorum ille fuerat ἀντίπαρος, confirmat. Regulas quasdam tem-  
perandæ huic philosophiæ exhibuit etiam Bæclerus eleganti Dissertatio-  
ne de congressibus & Colloquiis Principum. Quibus omninò addi debent,  
quæ eximiè annotavit Forstnerus ad Tacit. II. Annal. 9. p. 156. Pertinet  
huc designatio loci ac temporis: hoc quidem constituebatur in diem  
quintum post colloquii petitionem, ille verò in tumulo quodam planicie  
magne, qui æquo ferè spatio ab castris utrisq; aberat. Interdum flumina  
eorumque pontes solent eligi, sicut in Colloquio Cerealis, Civilisq; Va-  
hals pons scissus, cujus abrupta progressi colloquebantur apud Tacit.  
V. Histor. 26, 2. Quomodo Ludovicus Sfortia Mediolani Dux cum  
Galliæ Rege, in ponte cujus medietatem robustum ex lignis vallum di-  
videret, & Franciscus I, Galliæ Rex cum Lautreco Hispano, in vacua

Ubi seorsim  
consideran-  
tur.

Apparatus  
colloquii.

Quo spe-  
ctat quæ-  
stio Juris &  
consilii.

Cujus mo-  
menta si-  
gnantur.





navi, medio annis anchora firmata, fuerit congressus, *Guicciardinus Historiarum secundo ac sexto decimo* notavit. Eodem spectat ratio *prospiciendi securitati colloquentium*, quæ hîc idoneo utrinque adducto *equitum præsidio* præstatur, solennis quoque cavendi modus est, *obsidibus* datis, quem in Colloquio *Tiridatis & Corbulonis* servatum *Tacitus XV. Ann. 28, 4.* memorat. Interea notari meretur, consilium *Ariovisti* callidum, & si ex eventu judicandum, insidiis fortè non vacuum, quo cognitis & suis & *Cæsaris* viribus, noluit ut pedites, quibus *Cæsar*, sed equites potiùs, queis ipse prævaleret, in colloquium adducerentur, quanquam id suis quoque artibus eluserat *Cæsar*, legionarios milites decimæ legionis, cui quàm maximè confidebat, equis impositis, ut præsidium quàm amicissimum, si quid factu opus esset, haberet, quâ occasione quæri posset, *an liceat sub specie petiti colloquii omnino vitæ aut libertati hostis professi insidiari?* Sunt, qui putant, præcipuè si exsertis verbis securitas promissa non sit, nos cum *Grotio III, 24, 3.* asserimus, jus gentium ita violari, quod per Colloquii postulati- onem permissionemque tacita fides intercessisse censetur, collocutori- bus id innoxium fore. *Cautissimum* interea Principem esse debere, ne nimium fidei hostis tribuat, *Comineus* loco ante laudato satis docuit. Ex- tat exemplum *Q. Titurii Sabini*, Legati, apud *Cæsarem de B. G. l. 5. c. 37.* qui negligentia suæ meritas pœnas dedit. Adde gravissimum judici- um *Polybii l. 8. c. 7.* Diversa est quæstio, *annon aliter specie Colloquij ho- sti liceat nocere, spe pacis eum à consiliis bellicis avertendo, proprias verò res promovendo?* quàm cum eodem *Grotio III, 24, 4.* asserere nulli dubi- tamus; inter stratagemata retulit *Frontinus l. 1. c. 5.* Et ejusmodi factum perfidiâ vacare, recentioribus quoque seculis Europæ gentes omninò existimant, cujus illustre exemplum *Elisabethæ Angl. Reg. & Parmen- sis*, sese ita donec utrinque classes pararentur, detinentium; apud *Cambdenum in Elisabetha* legimus, *Famiano Strada & Thuano* etiam, descriptum.

Tum argu-  
menta con-  
ditionum.

§. XXIII. Ad colloquium ipsum quod attinet, ejus *argumentum & conditiones* invicem propositas, oratione utriusque Collocutoris, se- orsim relatas voluit Noster, quarum singula momenta partitim exa- minare peculiaris commentationis labor foret. Brevibus quidem, verbis, sed judicio satis accurato rem totam complexus est *Dio l. 38. p. 100.* quando *inter Cæsarem immodica postulante, & Ariovistum nihil concedere volentem pacem fieri non potuisse* asserit.

§. XXIV.



§. XXIV. Aliàs petita Cæsaris c. 43. eadem ferè sunt, quæ supra Ex parte in clarigatione sua proposuerat. Id verò cum dicit, Ariovistum à Se. Cæsaris natu Rom. amicum esse appellatum, Æduosque etiam Sctis aliquot hunc honorem tulisse, dubium alicui facere posset, quo jure Cæsar arma contra Ariovistum, eodem ac Ædui necessitudinis vinculo Romanis conjunctum capere potuisset? Tractatur eadem quæstio in generalioribus terminis apud Alber. Gentilem de Jure Bell. III, 18. H. Grotium de Jure B. & P. II, 15, 13. Pufendorffium de Jure Nat. & Gent. VIII, 9, 5. aliosq; cui sociorum inter se pugnantium auxilium ferre debeat, qui utrisque est fœderatus? Cæsar ipse fundamentum decidendi subministrat, quando quam veteres, quamque justæ necessitudinis causæ Romanis intercederent cum Ædus, ostendit, tali enim casu, si aliàs nihil obstat, præferri cum quo antiquius est fœdus, Grotius definivit.

§. XXV. Sed & Ariovistus c. 44. eadem ad postulata Cæsaris re- & Ariovisti spondet, quæ antea legatis ejusdem objecerat, nisi quod paulo prolixius ista heic deducat, caractere singulari, quo miscentur fundamenta Juris cum arrogantia & minis quibusdam, quas tamen gravitate sibi solenni retundere conatur Cæsar. Imbecille autem in eo contra Cæsaris arma præsidium petit, dum exinde, quod nec superioribus bellis, quæ Ædus secum & cum Sequanis habuissent, neq; bello Allobrogum proximo, istis auxiliaria fuerint, nec jam succurrere posse, colligere audet, de ea enim omissione, si sine causa facta est, conqueri licebat sociis, exteris verò in argumentum subvertendi juris trahere non poterat; Dixi si sine causa facta est: nam dari casus, quibus licitè auxilia omittantur, ostendit Grotius II, 25. 4. ex quo & illud docemur, supervacua observationis fuisse ab Ariovisto factam clarigationem, cum ea non necessariò utrinque, sed ab altera partium requiratur. Conf. de J. B. & P. III, 3, 6.

§. XXVI. Atque hoc colloquium tandem interrumpebatur ferò Denique ciâ Germanorum, Equites Cæsaris laceffentium, quos quanquam à suis exitus non difficulter superari posse, arbitrabatur, tamen, ne hostem à se perfidè (nam per fidem mendosè legi, ex interprete Græco constat, qui δόλω voce heic utitur, quale quid in simili loco Livii observavit Grotius, III, 24, 3.) in Colloquio circumventum esse dici possit, cohibuit Cæsar. Interea rebus sic imperfectis discessum est. Atque hoc est illud colloquium, cujus momenta etiam præclarâ annotatione expendit Celeberrimus Bæclerus Dissert. de Congress. & Colleg. Princip. §. 14. seqq.

§. XXVII.

III V X X 2



eiusque re-  
stauratio  
frustra peti-  
tia.

§. XXVII. Denuò verò colloquium petebatur ab Ariovisto, vel cum *Cæsare* ipso vel aliquo ex *Legatis* ejus ineundum. Quo loco *Legati* nomine non qualiscunq̃ue *Orator* mittendus, sed propriè *legatus militaris* intelligitur, qui *Imperatori* consilii causâ utque auxilia procuraret, aderat, sicut illius munia descripsit *Lipsius de milit. Rom. l. 2. dialog. II.* Hodie *Generalem locum tenentem* barbarè vocant. Sed neutrum horum commodum videbatur *Cæsari*, quod *Germanis*, novissimo exemplo edoctus, non satis fideret. Misit ergò sine caractere publico aliquos, in quibus dignitas populi *Romani* violari non posset, mandavitque, ut, quæ diceret *Ariovistus*, cognoscerent, & ad se referrent. Hos in castra venientes, *Ariovistus* pro speculatoribus habuit, in catenas conjecit, & de interficiendis illis sorte judicavit. Circa quod factum duo accuratorem merentur considerationem. Primum est, an *sanctimonia Legatis jure gentium debita* heic fuerit violata? Quod *Brantius* aliiq; facillimè asserunt, nos amplius dispiciendum putamus, neque enim qui destinati ad munia *Legatorum* subeunda, antequam ab altero admittantur, *Legati* sunt, eorumque juribus fruuntur; sed ex admissione demum *inviolabilitas* ac *sanctitas* illa oritur, à quo tempore tacita *pactio* putatur *intercessisse*, quod pridem notavit *Grotius II, 18, 5. & 6. add. B. Strauch. Dissert. Juris Publ. XII. §. 2. P. Faber semestr. l. 2. c. 1.* Pertinent huc, quæ nuper illustri exemplo in causa *Furstenbergiana* disputata sunt, confer *Scriptum pro detentione ista* editum à *Christophoro Wolffgango*, cujus verus *Autor* *Vir illustris Jo. Albertus Portnerus* vulgo traditur. Quare cum nondum ut *legatos* admiserat *Ariovistus*, vix est, ut *jura legatorum* violata dixeris, nisi fortè ex antea petito colloquio jam tacitam admissionis fidem præsumi velis. Alterum est, si fuissent *exploratores*, licueritne ita in eos *sevirè*? ratio dubitandi est, quod *exploratores* *jure Gentium* utique mittere liceat. Sed affirmandum censeo: quod enim tales deprehensi suppliciis afficiantur, non eo venit, quod in *jus gentium* deliquerint, sed quia eodem *jure gentium* in hostem quidvis licet, ergo ad *questionem consilii* res devolvitur, ut gravius aut levius malum quisque statuatur pro sua utilitate. vid. *Grot. III, 4, 18. & Alber. Gentil. de Jure Bell. II, 9. p. 283.* Recentioris historiae exempla, *Spinolæ* præsertim *Ducis Hispanici*, in utramque partem refert *Hermannus Hugo in obsidione Bredana.*



§. XXVIII. Cùm itaque nullâ aliâ ratione conciliari Ariovistus & Cæsar poterant, ad prælium decretorium descenderunt, quo mox totum bellum erat confectum. Prælii hujus facta concisius Dio, per indicem quasi Florus consignarunt, per singula autem momenta diffundit Cæsar. c. 48. ad finem libri primi. Hic non morabimur prolixius annotare, aliam longè esse rationem militiæ hodiernæ ac veteris, cujus diversitatem comprehendere satis potest, si quis evolvere sustinuerit Scriptores, qui de militiâ Romana ex professo sunt commentati, Antonium Valtrinum Justum Lipsium, Henricum Sevilium, Claudium Salmasium, comparaveritq; cum eorum traditis, quæ Hermannus Hugo in militiâ Equestri, ac alias Walhusius ac Ludovicus Melzius literis commendaverunt. Occasione hujus prælii saltem id notabimus, quod prisca Duces magnâ celeritate, uno plerumque prælio, bella confecerint, quæ hodie cunctando soleant debellari, utra rati præstet? disquirunt Politici. Paulus Foxius in egregiâ consultatione de Bello, Galliarum Regi datâ, & à Thuanò initio libri 59. descriptâ, illam præfert, existimans, quod hodie, ubi de receptu ingeniosè per tumultuaria prælia cogitatur, bellum cauponari potius quàm geri videatur; utriusque comparationem instituit Christoph. Forstnerus ad Tacit. 1. Ann. 21. p. 167. seqq. ita tamen ut à posteriori nunc vix recedendum esse, ex causis interioribus, à diversitate temporum hominumque, distincto pugnæ tormentorum ac cæterorum armorum genere, desumptis, præclare demonstrat. De cætero suffecerit nobis memorabilia ipsius prælii attendisse, in quo prudentiam utriusque Ducis per quædam specimina considerabimus.

§. XXIX. Ex parte Ariovisti artis verè Imperatoriæ fuit 1. quod sine vulnere hostem, commeatu interclusum, vincere constituerat, cujus consilii gravitatem fusè exponit Veget. de re milit. III, 26. Nec minorem prudentiam arguit 2. quod provocatus, exercitum castris continuerit: nam præter communem militiæ regulam Lipsio V. Polit. 16, 41. explicatam, quâ perrarò bonum Imperatorem signis collatis decertare debere, nisi summa necessitudo aut summa ei occasio esset data, constat, sortes quoque, quarum formam Tacitus German. X. descripsit, & vaticinationes matrum familias, quibus Divinitatis quid inesse Germani existimant, ut ejusdem Taciti Germ. II, 3. indicio discimus, prælium dissuadebant. Cavere autem & hodie solent periti Duces, ne contra omnia quicquam agant, non quod efficaciam aus vim aliquam naturalem

III. Pars. continet exitum belli, qui finiebatur prælio decretorio.

Ubi consideranda specimina prudentiæ scorsim tum ante prælium in Ariovisto

D lem

sto, vel  
Legati  
us mili-  
curaret,  
alog. II.  
horum  
mplo e-  
aliquos,  
que, ut,  
n castra  
jecit, &  
accura-  
ma Le-  
liiq; fa-  
nim qui  
admit-  
one de-  
a pactio  
add. B.  
Perti-  
isputa-  
o Wolff-  
go tra-  
vix est,  
lloquio  
fuisse  
od ex-  
um cen-  
venit,  
n in ho-  
gravius  
I, 4, 18.  
empla,  
ert Her-  
po loy  
vra  
XXVIII.





lem iisdem tribuendam putent, sed ne animi militum; quos moveri istis sciunt, in praeliis dejiciantur. Monitum politicum exhibet *Lips. V. pol. 16, 56. seqq.* Accidere autem subinde prodigia, quae magnarum cladum aut victoriarum sint praesagia, negari nec potest nec debet: in argumentum ex recentiori historia allegari solet, quod de specie Ducis Caesareanarum partium, Suecorum Regi ante praelium Lipsiense oblata, consignarunt Belli Germano Suecici Scriptores, & inter illos *Philippus Chemnitius part. 1. l. 3. c. 36. p. 214.* Exempla vetera velut in locum communem conduxit *Freinsheim. ad Curt. IV, 2, 13.* de quibus ut rectius judicium feratur, addi debent, quae de Artorii somnio praclare commentatus est *Baehlerus ad Vellej. II, 70.* ac de ejusmodi rebus in universum congesit *Dilherrus T. 1. Philolog. Disp. 19. §. 30. seqq.* Eodem 3. pertinet, quod interim *equestri praelio quotidie contenderit*, velut hostium vires experiretur, vel ut omen caperet, quem Germanorum morem fuisse, *Tacitus* memorat, forte etiam, quod equitatu praevaleret, nam his velitationibus Romanos vulnera, Germanos animum accepisse, testis est *Dio.* Peculiaris autem Germanicae militiae species hic notatur, quae *pedites permixti equitibus* pugnabant, quam descripsit *Tacitus Germ. VI, 6.* & *Dio Cassius l. 54.* amplius vero illustrarunt *Petr. Victorius l. 18. var. c. 19.* & *Andr. Turneb. l. 25, advers. c. 7.* Eodem artificio novissime usus est *Gustavus Adolphus Rex Sueciae* in praelio Lipsiensi anno hujus seculi tricesimo secundo, cum opportuniora loca *Tillius* occupasset, ac solem ventumque Suecis fecerat adversum, pedites cum equitibus misit, irruentesque Caesareanos ita submovit. Comparationis causa videri haec possunt, quae traduntur de Macedonum *Dahis* apud *Curium VII, 7, 32.* Britannorum *Essedariis* a *Caesare. de B. G. IV, 33.* & *Lips. II. saturnal. c. 12.* hodiernisque nostris *Dimachis*, quos vulgo *Dragones* appellant, quibus praeter alia militia Germanorum excellit, uti eleganter docet *Herman. Hugo de Milit. Equestri. l. 3. c. 4.* In genere autem, *utrum militia, equestris an pedestris praeferrri debeat?* praeter *Hermannum Hugonem* disquisivit *Lipsius V. polit. 7, 2. seqq.* qui pro pedite tandem respondet, pro equitatu vero concludit *Conzenius X. polit. 31. p. 887.*

& *Caesare.* §. XXX. In *Caesare* laudari meretur I. quod *aciem prior instructam* habuerit, non tantum ob communes hujus consilii rationes, quas adduxit *Lipsius V. polit. 16, 81. seqq.* sed & quod ab hoste, impetu pro more suo omnia agente, periculum irruptionis fuerat metuendum, quo casu



casu milites, si in tumultu demum ordinari debent, vel malè res cedunt, exemplo *Darii* apud *Curt.* III, 8, 24. vel saltem periculis exponuntur: nam illa quidem felicitas Ducum, qua *Gustavus Adolphus Suecorum Rex* & *Torstensohnus* præstitisse leguntur, ut in ipso prælio, quotiescunque necessitas postulabat, subito & citra confusionem aciem commutare valuerint, ex regulis prudentiæ militaris ordinariis æstimari nequaquam debet. Nescio an II. hac referre quoque debeam, quod *decertandi facultatem hostibus præbuerit Cæsar*, dubitandi rationes desumi possent ex iis, quæ habentur apud *Lips.* V. *polit.* 16, 40. seqq. quibus lentè in præliis procedendum esse suadet, quæ ultimum quasi pondus adderet *genius præsentium hostium*, quos impetu acres cunctatione languescere, caractere geniali *Tacitus* & alii, passimq; *Cæsar* ipse signarunt. Sed pro *Cæsare* militans variæ rationes, primùm communis regula, quæ à *Lipso* V. *polit.* 16, 48. subjungitur, quod *in tardando sæpè Ducibus etiam optimi apparatus pars aliqua pereat*, pertinet huc *Albani* dictærum, quod aliquando *Ludovico Barriento*, veterano Duci, respondisse meminit *Tibullus* l. 70. p. m. 12. *Bono Imperatori aliquando prudentiâ senili, aliquando juvenili ardore utendum esse*, cui addenda, quæ congestit *Freinsheim.* ad *Curt.* III, 5, 3. *Accedit heic necessitas status præsentis*, ne quod *Ariovistus* intendit, comætu prohiberetur, quam inter rationes prælii suasorias etiam posuit *Lips.* d. l. n. 51. & 66. Tertiò aderat *probabilis victoriæ præsumptio*, qua comparatis propriis hostiumque viribus, expeditiores suos in armis esse milites, cognoverat, & per hoc incitatum fuisse *Cæsarem*, disertè notat *Dio*, fundamentum autem hujus consilii ex *Vegetio de re Milit.* III, 9. exponit *Lipsius* d. l. n. 53. Denique intererat plurimum *Cæsaris*, ut alacritas militum, ad quam eos à terrore panico reduxerat, foveretur, hoc autem confidentiâ suâ præstabat, *fortiores enim videntur, qui provocare non dubitant*, ut iterum ex *Veget.* notat *Lipsius* d. l. n. 83. Summæ quoq; solertiæ specimen III. præbuit in *partiendis muniendisq; castris, hoste incubante*, quo regula à *Vegetio de re milit.* I, 25. tradita, illustrari potest, atque in hanc rem duas *legiones* cum parte *auxiliorum* adhibuit, de quarum differentia videndus *Vegetius de re milit.* II, 1. & 2. Id verò IV. exquisiti planè consilii est, observante etiam *Plutarcho*, quo fortunam, quæ ex captivis cognoverat religionibus impediri *Ariovistum*, quo minus decrecente lunâ pugnâ certaret, in sapientiam utilitatemq; vertit, ac ad



castra usque hostium accedens pugnandi necessitatem ei injecit, sicut in *Stratagemata* sua quoque retulit *Frontinus* l. 2. c. 1. n. 10. Ariovistum autem, quæ contra sortes & auspicia prælium committere coëgit, etiam defendit necessitas, quæ ut in aliis omnibus, ita maximè in bello ante rationem est, dicente *Curtio* VII, 7, 10. qua ratione *Christophorus Columbus* patrum memoriâ lunæ occasione Indos devicerit, vid. *Bodin. V. de Republ. 1. p. 798.*

Tum in acie  
instruenda.

§. XXXI. In acie quoque instruenda, quod ex arte Ducis esset, nenter omisit. Id ut penitius cognoscatur, conferri debent, quæ de acierum instructionibus, ex veteribus *Leo Imperator*, *Onofander*, *Aneas* atque *Ælianus* in *Tacticis* suis, ex recentioribus *Justus Lipsius* & *Hermanus Hugo* tradiderunt. *Cæsar* prudentiam conspiciere licet, primum in eo, quod castris præsidia atque ita pugnantibus subsidia reliquerit, quæ quantum ad victoriam, conferant, vel præsentis exemplo doceri potest. Regula universalis notatur à *Lipio V. Polit. 16, 73. seqq.* Deinde quod omnes alarios non aciei immiscuerit sed in conspectu hostium pro castris minoribus constituerit, vel quod eis non fideret, ut *Lipsius* opinatur; vel, quod *Cæsar* exprimit, dum minus multitudinis militum legionariorum pro hostium numero valebat, ut iisdem ad speciem uteretur. Quid verò per alarios intelligatur, eruditi non conveniunt. *Veget. de re Milit. II, 1.* quosdam equitum esse putat, qui ad similitudinem alarum ab utraque parte protegant acies, cujus sententiæ favere videtur *Cincius* apud *Gell. Noct. Att. IV, 4.* Sed *Lipsius*, qui professa opera hunc locum explicat *de Milit. Rom. l. 2. dial. 7. pro sociis* accipit; Uterque satis commode, & si ve ad speciem sive suæ securitatis causâ eos præ castris constituerit *Cæsar*, consilii ratio constat; nam & hodiè prudentioribus Ducibus, integras Legiones, ex rusticis aliisque hominibus undique collectas, numeri causâ producere, artificii solennis est, quod, ut *Tacitus* ait, in omnibus præliis oculi primi vincantur. Et socios vel externos in acie ita esse constituendos, ut *proximi sint discrimini*, suadent *Politici.* Vid. *Lips. V. Polit. 16, 80.* nisi quod hi sapius renuant, unde hodie plerumque per sortem hæc definiuntur.

§. XXXII. Laudari verò *Ariovistus* meretur, quod primo generatim per familias milites disposuerit, quem morem fuisse Germanorum, notat *Tacitus Germ. VII, 3.* sed regula prudentiæ, quantum proficiat, si jungantur, qui necessitudinis vinculo aliquo sunt connexi, habe-



tur apud Lipsium V. Polit. 16, 79. Deinde, quod necessitatem pugnandi in loco fecerit, omnem aciem suam rhedis & carris circumpositis, ne qua spes in fuga relinqueretur, quod commendatur apud Lips. V. Polit. 16, 69. Addi debet locus parallelus Taciti XII. Ann. 31, 5. ubi de Britannis, qui obseptis effugiis multa & clara facinora fecere. Consilium hoc Ariovisti amplius reddit consuetudo Germanicarum Mulierum, carris impositarum, quæ passis crinibus & flentes implorant milites, ne se in servitutem Romanis traderent; sicut amplius ex Tacito Germ. VII, 3. poterit constare.

§. XXXIII. Ordinata utrinque prudenter acie, instincti quoque sunt Ac pugna exercitus, ut in conflictu ipso par animorum ardor, par quoque discrimina. *Romani* dato signo, de cujus ratione ac diversitate videntur *Lipsius de mil. Rom. l. 4. dialog. 12.* impetum fecerunt. *Germani* tam celeriter procurrerunt, ut spatium pila in hostes conjiciendi non daretur, rejectis itaque pilis quorum descriptionem idem *Lips. de mil. Rom. l. 3. dial. 4.* tradit, cominus gladiis pugnatum est. Disceptatur aliàs, an consultum sit milites cursu in hostem movere? cujus rei definitionem præstitit Cæsar noster in prælio, quo Pompejum devicerat, ita, ut affirmativam solidioribus rationibus niti demonstraverit. *l. 3. de Bell. Civil. c. 92.* nam quæ Pompejus in alteram partem causabatur, satis *ibidem* refelluntur. Sanè quin ejusmodi celeritate hostes valdè impediantur, negari nequit, præsentis utique prælio utrosque magnum sibi eripuisse præsidium novimus, de Romanis fatetur ipse *Cæsar*, de Germanis autem *Dio* annotavit. Quate & hodie magni Duces in usu habent, ut in initio statim, antequam tormenta explodantur, jubeant cominus rem gladiis gerere, quod id hostem insuper terreat, quod de Gustavo Adolpho Suecorum Rege testatur *Loccenius in Historia Suecica.* Sic ut autem in hoc artificio præcellere Romani, ita ex adverso Germani præsidium in Phalange sua sibi quæsierunt, quam descripsit, præter *Lipsium*, qui figuram quoque æneam exhibet in *Poliorecticis, l. 1. cap. 5.* *Orosius l. 6. c. 7.* ostenditque *Végetius de re milit. l. 2. c. 2.* non Macedonas tantum, de quibus *Curtius* testis est, sed & Barbarorum alios phalange facienda fuisse illustres.

§. XXXIV. Cæterum dubio Marte satis diu pugnatum est, donec Notatur tandam exitus prælij hic erat; ut plena victoria cederet Romanis, ad exitus præquam potissimum momentum, subsidia à P. Crasso; inclinanti dextro



cornu submissa, attulerunt, quo prælium restitutum atque ita factum, est, ut Germani terga verterent, donec ad flumen Rhenum, millia passuum ex eo loco circiter *quing.* vel ut alii, *quinquaginta*, pervenerunt, ubi pars viribus confisi transnatare contenderunt, pars in tribus inventis salutem sibi petierunt, cæteros Romani equites insecuti interfecerunt, quos una cum iis, qui in prælio ceciderant, ad octo *μυριάδας*, hoc est *octoginta millia* extendit *Plutarchus*, cui & *Appianus* consentit, & *Zonaras*; quanquam *Orosius*, neque numerum Germanorum conjici potuisse, vel quantus pugnae affuerit, vel quantus fuerit *occisorum*, tradat: inter illos, qui naviculis profugerunt, etiam *Ariovistus* heic refertur, quare cum *l. 5. c. 29.* mortuus traditur, forte accepto vulnere, vel animi mœrore, paucis post diebus interiisse, credendus est. De loco prælii non conveniunt. *Beatus Rhenanus l. 1. rer. Germ.* duobus miliaribus Italicis, vel Germanico uno à Rheno eum constituit, qui & insuper existimat, ultra *Basileam* prope fanum *D. ἀποστατίας* illud contigisse; eum sequitur *Johannes Glandorpius*. Sed dissentiunt *Franciscus Hotomannus*, *Petrus Ciaconius*, & *Johannes Brantius* in commentariis suis, qui remotius à Rheno spatium ponunt. Res ipsa dependet à lectione certa, hi enim legunt *millia passuum circiter quinquaginta*, secuti *Orosium*; illi pro *quinquaginta* legunt *quinque*: provocant isti quoque ad *Plutarchum*, qui *σάδις τετρακοσίς*, *stadia quadraginta* nominat, quorum octo unum milliare faciunt, sed & heic alii codices legunt *τριακοσίς*, *triginta*, imò *Paraphrastes Græcus τετραράκοντα σάδια* ponit, ex qua varietate satis apparet, vix aliquid definiri posse, eo magis, quod *Geographiæ veteris termini* longè sint impeditiores, quam ut ad liquidum possent deduci.

& Locus.

Annectuntur duæ quæstiones.

§. XXXV. Fœminarum in hoc bello ter facta est mentio *c. 50. 51.* & §. qua occasione colloquii eruditi argumentum subnasci potest, si quærat: *an consultum sit fœminas in castris habere?* non adducam diversa hac in re populorum instituta; nunc & olim observata, nec quæ in utramque partem dici possunt, ex locis vulgariter usurpari solitis proferam; suffecerit allegasse illustrem consultationem istam, qua sub Principatu *Tiberii* in Senatu Romano hæc controversia ventilabatur, diligenter *Tacito III, Annal. 33.* consignatam. Argumenta utrinque proposita pro dignitate rei exequi, instituti nostri ratio non patitur, arbitramur autem *affirmativam* sententiam satis idoneis rationibus posse



posse defendi, quod eo clarius apparebit, si quis ad ea, quæ eximiè Vale-  
 rius Messalinus apud Tacitum Cæcinæ reposuit, gravissimum iudicium  
*Hermanni Hugonis in Obsidione Bredana*, ubi comparationem inter  
 Germanam & Hispanicam militiam instituit, super hac relatam, con-  
 ferre sustineret. Cæterum quando à Cæsare traditur, *duas uxores Ari-*  
*ovisti in fuga periisse*, nimirum alicui videri posset, quî cum institutis  
 veterum Germanorum id concordet, quales subinde eo nomine lau-  
 dantur, quod *prope soli Barbarorum singuli singulis uxoribus contenti*  
*fuertint*, ut ex Tacito Germ. XVIII, 1. Grotius, II, 5, 9. observat. Verum  
 regula illa est, quam aliquando exceptionem pati, ipse Tacitus testatur,  
 ita enim sequitur, *exceptis admodum paucis qui non libidine, sed ob no-*  
*bilitatem plurimis nuptiis ambiuntur*, cuius nobilissimæ observationis  
 exemplum Ariovistus præbere potest. Verum impleto Dissertationis  
 modo, tandem heic subsistendum est; neque enim exactâ interpretatio-  
 ne hoc argumentum percolere, sed istius occasione, specimen tantum  
 exhibere, initio paginarum nostrarum promisimus, unde de vera  
 necessitudine & συζογία Civilis prudentiæ ac Historiæ  
 quadantenus queat constare.

F I N I S.









Civili prudenti  
 stituti feligentes  
 cum Ariovisto  
 Commentariori  
 tione illustratu  
 dignitate rei ist  
 tentemus, quai  
 vinam gratiam

Scriptores §. II. Pot  
 hujus Belli. *Ipsu*  
 principia mem  
 rerum à se gesta  
 quibus in eode  
*cesimo ad finem*  
 Belli illustri b  
*edit. Xylandr. a*

Partitio in tatione exposi  
 tres partes. sentem tractat  
 sumus, ut prim  
 sis ceptum; dei  
*exitum, quibu*

Quarum §. III. Q  
 prima conti- solennes Juris  
 net Initium *mam habet poi*  
 Belli. tur, imprimis

Ubi confi- co an privato  
 deratur, candum sit, ne  
 quoad per- *Belli contra G*  
 sonam fa- tandi suggerit  
 cultas ejus, *II, 21, 4. quod*  
 qui Bellum *dum Bellum*  
 gerit.

Quæ aliis in oriatur; pecu  
 dubium vo- lum Germani  
 catur. Jure Militari  
 que in re tanti  
*Pufendorf. de*

um hujus in-  
*Julius Cesar*  
*Bello Gallico*  
 e commenta-  
 non quod ex  
 emur, sed ut  
 is innoxiiis di-  
 ur.

laudavimus  
 illum, hujus  
 t apologiam,  
 & fortunam,  
 le à capite tri-  
 seriem hujus  
*. Cesar. p. 716.*  
 maticâ differ-  
 constet, præ-  
 ncludere pos-  
 quibus ex cau-  
 tum; denique

consequendos  
*ab eo, qui sum-*  
 testatis gerun-  
 ro Bello publi-  
 ebeat, dijudi-  
*far facultate*  
 rationes dubi-  
*III, 3, 10. add.*  
 ad conficien-  
 , jus hoc non  
 nctum erat bel-  
 indictio, ita ex  
 iderabatur; ne-  
 esse, ostendit  
 on milites tan-  
 tum eo

